22

JUN 26 1882

Duplici munere, ut communia professionis ordinariae officia mittam, hoc anno fungens, quum et universas Academiae res regere et solemnibus festorum dierum ceremoniis praefari debeam, ejus quoque religionis et observantiae, qua nos redeuntem Augustissimi Principis natalem excipere consentaneum est, duplicem partem jure meritoque sustinere videar; idem tamen, quae humanae imbecillitatis sors est, tantum abest ut aucto negotiorum modo simul etiam temporis viriumque incrementa invenerim, ut duplicati muneris partibus vix dimidiatam operam impendere possim. Ignoscant igitur quibus aut tanti diei splendor aut nostra qualiacunque studia cordi sunt, si neque ipsorum exspectationi neque occasionis majestati respondere mihi contigerit; satis habendum erit, si unum illum locum, in quo omnes meas cogitationes totamque industriam figere me temporis angustiae cogunt, ita pertractavero, ut acerrimas lites, quae de ejus explicatione inter eruditos ortae sunt, aliquatenus composuisse interpretumque mentes a perverso itinere, quo plerique hac ipsa aetate inclinant, revocasse existimer.

I.

Verba de quibus disputare constitui sunt Horatii in Sermonum libri primi satira decima, ubi judicium suum de Lucilio contra ineptos hujus fautores defendens, ne omnia omnino homini ingenioso famaque inter aequales illustrissimo detraxisse videatur, *fuerit*, inquit, *Lucilius*

Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poëtarum seniorum turba;

in quibus quum reliqua omnia satis plana et perspicua sint, illud unum disceptationem habet, utrum *intacti carminis auctor* unus ex *seniorum poëtarum turba*, quicum Lucilius comparetur, an ipse Lucilius existimandus sit, quem, ut alios taceam, Horatius ipse alio loco Serm. II. 1. 63 *primum* testatur ausum esse

— *in hunc operis componere carmina morem*,

inque ipsa nostra satira v. 48 *inventorem* hujus generis appellat. Et primi quidem interpretes usque ad saeculi decimi sexti finem de alio praeter Lucilium ne cogitasse quidem videntur; quorum qui ex ipsa antiquitate relicti sunt, Acro: *quia*, inquit, *primus satiram Graecis intactam versibus hexametris scripsit, etiam Graecis auctor hujus operis est*, Porphyrio autem *hoc ideo dictum* narrat, *quia nulli Graecorum hexametris versibus hoc genus operis scripserint*; neque aliter magna illa renatarum literarum lumina Henricus Stephanus et Guilielmus Xylander intellexerunt, quorum alter hoc scholion

adjecit: *limatior quam necesse esset auctori carminis rudis et Graecis intacti* [1]), alter autem haec annotavit: *habeatur, inquit, Lucilius, id quod non est, politior et tersior quam ab auctore novi carminis et in quo praeeuntem Graecum nullum habuit quem sequeretur, fuerit exspectandum aut requirendum* [2]); Dionysius denique Lambinus, quo vix quisquam Horatium majore luce illustravit, quamvis in ipsis verbis interpretandis paulum a Stephano discrepans [3]), in summa rei, qua Lucilium secum ipso comparari statuunt, utique cum illis duobus consentit. Immo ne ii quidem, quod solos illic Lambinus impugnat, de Lucilio satirae auctore dubitarunt, sed in eo tantum reprehenduntur, quod interpunctione post *rudis* facta hoc quidem verbum pro nominativo habent quaeque sequuntur *et Graecis intacti carminis auctor* cum antecedentibus *fuerit Lucilius* etc. conjungunt; quos etsi recte jam Lambinus ex comparativae constructionis legibus refutavit [4]), neque quemquam

1) Q. H. F. poëmata, novis scholiis et argumentis ab H. St. illustrata, P. II, p. 33.

2) Q. H. F. poëmata accuratissime castigata etc. Neostad. 1590. 8, p. 146.

3) Lambini haec est annotatio: *hunc locum, quem scio difficilem et impeditum haberi, sic expedio atque explico: demus (inquit Horatius) Lucilium limatiorem fuisse, quam auctorem satyrae Graecis intactae esse videmus, quod idem fere valet, ac si dicat, demus Lucilium fuisse limatiorem, quam ipse sit; atque ita nomen* rudis *in patrio casu accipio et cum voce* carminis *conjungo.*

4) Scilicet dicturum fuisse Horatium *limatior quam rudior*, qua de constr. cf. Ruddim. institt. l. l. T. II, p. 103, Reisig. lat. Sprachwissenschaft p. 397, Ramshorn. lat. Gr. p. 495 etc. Prorsus singulare exemplum est Tacit. Agric. c. 4: *speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam caute appetebat*, nec cum Horatianis comparari potest, si quidem Taciti non ea sententia est, ut majorem vehementiam quam cautionem fuisse dicat, sed Agricolae ingenium gloriam vehementius

nunc adeo concinnitatis et elegantiae sensu destitutum fore arbitramur, ut cum Cruquio [5]) et Eilhardo Lubino [6]) talem verborum ordinem esse credat: *fuerit idem Lucilius auctor carminis satyrici intacti Graecis limatior quam rudis* — Lucilio tamen locum ab Horatio tributum integrum reliquerunt. Princeps, nisi me vestigia fefellerunt, contrariae opinionis Janus Dousa exstitit, qui quum in eo cum Lambino consentiret, ut *rudis* in genitivo casu accipiendum et cum voce *carminis* conjungendum esse intelligeret, hanc inde sententiam effecit: *esto; fuerit, inquam, Lucilius urbanus et comis, demus etiam limatiorem id est tersiorem ac emendatiorem fuisse quam Ennium nostrum, primum illum rudis satyrae inventorem, aut etiam secutam seniorum hoc est Lucilio antiquiorum poëtarum turbam* [7]); eamque mox sententiam incertum secuti sint an ipsi in eam inciderint Isaacus

---

appetiisse ait quam caute appeti potuerit; Horatius vero tantum abest ut metro cogente positivum pro comparativo usurparit, ut etiam commodius scripturus fuerit, si *rudior* posuisset omissa particula *et*, quae Cruquianae et Lubinianae constructioni prorsus contraria est.

5) Edit. a. 1611, p. 405, quem mirum est haec addere potuisse: *verum ut auctores extra invidiam collocati consulto saepe negligunt superstitiosos grammaticos, ita nihil opus est ornatioris dictionis gratia obscurius et perturbatius interpretari sententiam, quam clarius et commodius;* magis etiam mirum ad positivae constructionis auctoritatem tuendam Columellae locum l. XII praef. adhibuisse, ubi natura dicitur *muliebrem sexum timidiorem reddidisse quam virilem!*

6) Q. Hor. Fl. accuratissime emendatus et explicatus paraphrasi nova scholiastica Eilhardi Lubini, Francof. 1612. 4, p. 352: *atque adeo ut vel maxime* Lucilius *eximius poëta . . quamvis satyrici carminis a nullis Graecis* tacti *aut tentati . .* auctor *et inventor*, limatior *et doctior fuerit quam rudis; limatior etiam et doctior quam Ennius, Actius, Pacuvius, et reliqua* seniorum poëtarum turba, *qui ante ipsum scripserunt* etc.

7) Dousae verba, ut mox Rutgersii, repetii ex ed. Schrevelii, L. B. 1670. 8, p. 483.

Casaubonus [8]) et Janus Rutgersius [9]), nisi quod uterque emendando tantum eum sensum recte declarari censuit, Rudiisque Calabriae oppido Ennium natum esse memor alter *Rudius* alter *Rudiis* pro eo quod est *rudis et* substituendum esse suasit. Idem tamen Rutgersius eadem pagina poenitentia ut videtur captus hanc conjecturam proposuit:

quam rudis at Graecis intacti carminis auctor,

vocabulo *rudis* in nominativo casu intellecto quod Casaubonus fieri posse negavit quin ὑπό τι βαρβαρίζειν purissimum linguae Romanae poëtam velimus; Casauboni autem emendationem, quamvis ipsi *tantum non necessaria* visa esset, quam *nemini adhuc oboluisse* miraretur, vel quibus de reliqua sententiae suae parte persuasisset, ut Heinsius [10]) et Dacerius [11]) rursus impugnarunt, neque negari potest, etiam integra vulgata lectione poëtae verba ad Ennium referri posse, modo hoc poëtae consilium literarumque Romanarum memoria permittat; quod si quis hoc Casaubonum ut promisit effecisse concedat, in verbis certe nihil difficultatis quod corrigendo removeri opus sit manebit. Atque sic visum est multis egregiisque viris, qui sive Casauboni auctoritate moti, sive quia ipsis simplicior ratio videretur, inventi carminis laudem

8) De satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira libri duo, ed. Jo. Jac. Rambach, Halae 1774. 8, p. 198.

9) Venus. lectt. c. XX, p. 357 edit. Traj. 1699. 12.

10) Ad Vellej. Paterc. II. 9, p. 716 sq. Ruhnk.

11) Ad Horat. T. VI, p. 620 edit. a. 1709. 8.

Horatianam a Lucilio ad Ennium transtulerunt, ut Bentlejus [12]), Gesnerus [13]), Wielandus [14]), Manso [15]), Rupertius [16]), Doeringius [17]), Jacobsius [18]), Wachsmuthius [19]), Astius [20]), Weichertus [21]), Bernhardyus [22]), Baehrius [23]), tantumque abest ut hoc dubitanter tantum proponatur aut intra praeteritorum tantum temporum fines constiterit, ut recentissimus quisque confidentissime hanc sententiam prae se ferat [24]), neque intelligam quomodo

---

12) Ad Horat. Epist. II. 2. 80.

13) Edit. Zeun. p. 415: *Ennium describi hoc carmine apparet; ille satiram tentavit primus, intactum Graecis carmen; ille rudis arte etiam Ovidio dictus Trist. II. 424.*

14) Horazens Satyren übersezt etc. 1787. 8, T. I, p. 266.

15) Vermischte Abhandlungen p. 296; cf. Nachträge zu Sulzer's Theorie d. schönen Künste T. IV, P. 2, p. 423.

16) De satira Romanorum ante edit. Juvenal. T. I, p. XLV.

17) Edit. a. 1828, T. II, p. 85: auctor *ad satirae inventorem Lucilium referri nequit; nam verba inde a* sed ille *nulla modo Lucilii ingenio conveniunt;* auctor *jam est scriptor, et totus versus eleganter exprimit simplices voces,* quam Ennius; *Ennius enim est scriptor* carminis rudis et Graecis intacti; *scripsit enim annales Romanorum fide historica.*

18) Vermischte Schriften T. V, Lips. 1834. 12, p. 253, ubi quanquam medius inter utramque interpretationem haerere videtur, Casaubonianam magis ei probari apparet ex p. 233, ubi verbis: *seine Vorgänger hatte dieser übertroffen,* adscripsit v. 65.

19) In Athenaeo ab ipso et Günthero edito Halis 1816. 8, T. I, P. 2, p. 321: *es ist nicht wohlgethan, durch solches Sprachfoltern dieser Stelle einen Sinn geben zu wollen, den sie nicht hat, und die richtige Erklärung, dafs mit dem* auctor rudis carminis *Ennius gemeint sei, ergiebt sich, wenn nur die falsche Ansicht von den Aussprüchen unsers Dichters und anderer alten Schriftsteller über Lucilius als* inventor satirae *beseitigt wird* etc.

20) Grundrifs der Philologie, Landishuti 1808. 8, p. 459.

21) Poëtar. latin. reliqu. p. 279 sqq.

22) Grundrifs der römischen Literatur p. 244.

23) Geschichte der römischen Literatur p. 216.

24) Praeter Orellium recentissimum Horatii editorem, T. II, p. 144 et 150 cf. C. E. Schoberus de satirae initiis, Nissae 1835. 4, p. 10, et de Atellanarum exodiis, Vratislav. 1830. 8, p. 12;

Schömannus eam pro antiquata spernere dudumque ab optimis interpretibus emendatam jactare potuerit [25]). Sunt tamen etiam nostra aetate praeter Schömannum, qui priscam et genuinam interpretationem suffragiis atque auctoritate sua tueantur, Heindorfius [26]), Handius [27]), Bothius [28]), Kirchnerus [29]), Jahnius [30]), Wissius [31]), alii [32]); quibus si me quoque adjungere sustinuero, quamvis

---

H. Paldamus über Ursprung und Begriff der Satire, Gryphisw. 1834. 8, p. 20 et in Jahnii N. Jahrbb. f. Philologie T. XV, p. 86; inque primis C. Passovius über das Leben und Zeitalter des Horatius, ante edit. Epistt. Lips. 1833. 8, p. LVIII: *die Ansicht, dafs Ennius dem Horatius und dem gesammten Alterthum nicht als* auctor satirae *gelte, darf . . seit Lambin (?!) und Casaubonus wohl als vergessen zu nehmen sein!*

25) Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. 1835, p. 31: (Paldamus) *läfst den Ennius, nicht den Lucilius, von Horaz als* auctor satirae *genannt werden, nach einer freilich längst von den besseren Erklärern berichtigten Ansicht.*

26) Q. H. F. Satiren erklärt, Vratislav. 1815. 8, p. 222: *weder Horaz noch irgend einer der Alten hat den Ennius als Urheber dieser Satire, als Vorgänger des Lucilius erkannt; wie könnte auch in demselben Gedichte v. 48 Lucilius, hier Ennius als* inventor *genannt seyn? Der Sinn ist: mag er zugleich sogar geglätteter seyn, als es der Schöpfer einer ganz neuen und originalen Gattung ist und seyn kann:* quam pro eo quod auctor fuit rudis et Graecis intacti carminis; *mag er hierin sich als den Erfinder einer noch von Niemand bearbeiteten Gattung selbst übertroffen haben.*

27) Ad Statii Silvar. I. 2. 238, p. 320.

28) Annott. ad Horatium a Fea editum, Heidelberg 1831. 8, p. 39: *do limatiorem esse Lucilium quam facile sit aliquis auctor carminis rudis et Graecis intacti.*

29) Q. H. F. Satiren verdeutscht etc. Stralsund 1829. 4, p. 147: — *sey selbst er geglättet für einen, der aus dem Rohen erschuf ein Gedicht ungriechischer Abkunft.*

30) Edit. Lips. 1823. 8, p. 261.

31) Quaestt. Horatiarum lib. V, Rintel. 1835. 4, p. 19.

32) Ut censor Passovii, quem Adolphum Stahrium esse suspicor, in Hall. Allg. L. Z. 1835, Ergänz. Bl. p. 128: *in deren literargeschichtlicher Entwickelung gegen die gäng und gäbe Meinung* Ennius *als* auctor *angenommen wird, was gegen das redende Zeugnifs des Horatius* II. 1. 62 *streitet und eigentlich nur auf einer Wortspielerei beruht.* Weberum quoque Jacobsius inter hujus sententiae patronos enumerat; nescio tamen quem ex tot viris, qui illud nomen honestarunt, dicat, neque ubi is de hoc argumento disseruerit.

graves mihi adversarios impugnandos esse intelligam, tamen quantum nomini deest, disputandi diligentia et argumentorum pondere compensare conabor.

II.

Quoniam autem in omni interpretatione ita procedendum est, ut primum tentemus quid per linguae leges antiquitatisve memoriam ferri possit, deinde vero inter haec ipsa eam sententiam eligamus, quae internis rationibus scriptorisque proposito maxime commendetur, ne aut primum quemque sensum temere sequamur, aut in iis, quae nullam omnino probabilitatis speciem habeant, praeter necessitatem immoremur; hoc quidem statim in limine disputationis facile profiteor, quod non solum tot doctorum ab utraque parte stantium libramento, sed etiam argumentis demonstrari potest, neutri earum explicationum, quas Horatii verba invenisse dixi, deesse quibus se tueatur. Nimirum sermonis legibus quod repugnet in eorum qui Ennium praeferunt sententia nihil inesse sponte patet; neque aut illud negari poterit, Ennium cum Graecis junioribusque Romanorum poëtis comparatum *rudem* dici potuisse, aut satiras ipsum ante Lucilium scripsisse; quae quum ita sint, modo ne quis Doeringii opinionem sequatur, qui *Graecis intactum carmen* ad Annalium libros referre maluit, literarum quoque historiae satis constare videbitur. Annalium enim genus quomodo *Graecis intactum* fuerit, post tot carmina genealogica et historica, quot et ab Homeri Hesiodique

sectatoribus et Alexandrinorum ex scriniis prodierunt, vix quisquam intelliget, nec quod Annalium potissimum causa *rudem* Ennium dici ab aliis videmus [33]), Horatium nunc aut hoc carmen aut omnino Ennium magis quam quemlibet alium ex *poëtarum seniorum turba* eodem vocabulo appellasse coget; satiram autem Quinctilianus totam Romanis vindicat [34]); quod si et satirarum libros Ennium quoque reliquisse [35]) eundemque Lucilio antiquiorem fuisse constat [36]), haud profecto inepti fuerunt, qui hunc maxime Lucilio comi et urbano opponi in versibus quos tractamus existimarunt. Nec tamen etiam altera sententia, qua secum ipse comparari Lucilius videtur, adeo probabilitate destituta est, ut nonnullis adversariorum placuit, qui quum Horatio saltem Ennium satirarum non modo inventorem sed ne scriptorem quidem usquam alibi commemorari nossent, eo demum confugerunt, ut orationi vim inferri nec duritiae culpam ab iis,

---

33) Cf. locum certatim ab intpp. comparatum Ovid. Trist. II. 423:

Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore,
Ennius ingenio maximus, arte rudis;

praetereaque Valer. Maxim. VIII. 14. 1: *Africanus* Ennii *poëtae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit . . vir Homerico quam* rudi *atque impolito praeconio dignior.*

34) Inst. Orat. X. 1. 93.

35) De Ennii satiris mox pluribus disputabitur; nunc sufficiet laudasse Casaubonum l. c. p. 189 sqq., Wachsmuthium in Athenaeo T. I, p. 213 sqq., Schoberum de satirae initiis p. 9, quosque praeterea adhibet Baehrius Gesch. d. römischen Literatur p. 216.

36) Ennii natalem fuisse annum post quam primam fabulam Romae Livius Andronicus docuit, hoc est 239 a. Chr. constat ex Cic. Brut. c. 18 et Tuscul. I. 1; Lucilium autem integro paene saeculo post natum esse ann. 148 a. Chr. Eusebius tradidit, cujus auctoritatem ab aliorum dubitationibus acriter defendit Vargesius in Welckeri Mus. Rhenan. T. III, p. 34 sqq.

qui hunc locum de Lucilio accipi malint, effugi posse arguerent, ipsi vero multo majore vi et licentia *auctorem* ab *inventore* ita distinxerunt, ut hoc nomen Lucilio relinquerent, illud soli Ennio suo vindicarent. Et de hoc quidem argumento posterius videbimus, cujus certe non ea gravitas est, ut nisi quis circulum in demonstrando committere velit, per se solum ad Ennium Lucilio substituendum sufficiat; constructionis autem duritiem aut violentiam nullam video, ubi eas tantummodo rationes sequimur, quae et universis humani sermonis legibus nitantur, et multis utriusque linguae Graecae pariter ac Latinae exemplis comprobari possint. Nam quum omnis comparationis hoc fundamentum sit, ut duae res aliqua mensurae communione contineantur, quae eas omnino inter se committi et comparari sinat, plerumque sane haec mensura supra utramque posita est, quo facto ipsae res uno eodemque ordine habentur; eoque in genere etiam illorum interpretatio versatur, qua Lucilium Enniumque communi poëtarum specie comprehensos lima tantum et ruditate distingui volunt; at enim vero etiam illa ratio iniri potest, ut res aliqua cum sua ipsius mensura comparetur, quae sive in re ipsa sive in universa ejus condicione et notitia cernitur, duae aliae constructiones oriuntur satis inter se cognatae, quae tantum abest ut orationem contortam aut insolitam efficiant, ut jure meritoque inter elegantissimas censeri possint. Alteram tantum harum concesserim in Graeco sermone usitatiorem esse

quam in Latino, cui vix dicere liceat hominem se ipso superiorem vel inferiorem ut Graecis *αὐτὸν ἑαυτοῦ κρείττονα* vel *ἥττονα* [37]), ideoque nec nostro in loco Lambini sententiam amplectar, qua is Lucilium quasi limatiorem quam ipse fuerit sumi statuit [38]); sed haud scio an ipse Lambinus negligentius locutus sit, verbisque de quibus agitur non tam circumscribi Lucilium quam ita designari voluerit, ut id quod fuisse sumatur comparetur cum eo quod ex ipsius loco et condicione naturaliter sequi videatur; quo pacto non majus discrimen inter ipsum et Stephanum intercedit quam inter Heindorfium et Bothium, quos non erat cur Orellius diversa sensisse insimularet [39]), omnisque explicatio ad celeberrimum ullum usum redibit, quo simplex constructio com-

---

37) Cf. Matth. gr. Gr. §. 452.

38) Proxime ad Lambini rationem accedit Platonis locus Lachet. p. 184 B: *εἰ μὲν δειλός τις ὢν οἴοιτο δεῖν αὐτὸ ἐπίστασθαι, θρασύτερος ἂν δι' αὐτὸ γενόμενος ἐπιφανέστερος γένοιτο ἢ οἷος ἦν*: nec dubitari potest quin etiam Latine dicere liceat hominem sub aliqua condicione illustriorem futurum esse quam revera sit; at Horatius non committit virtutem quae in Lucilio esse potuerit cum ea quae re vera fuerit, sed limatiorem fuisse concedit quam hominem ejus generis, quod nisi aliunde constet in illum cecidisse, ex his verbis solis colligi nequeat; quamvis igitur re vera *auctor carminis rudis* fuerit, ipsa tamen verba latius patent quam ut cum Platonicis illis *οἷος ἦν* comparari possint.

39) Nimirum ita Bothii explicationem interpretatus est ut Horatium dixisse voluerit: *fuerit limatior quam ὁ δεῖνα, unus aliquis, quem nominare non possum, quem ne novi quidem ego;* quibus recte negat quidquam inconcinnius dici potuisse; sed nescio quomodo praetervidit eum, qui *universe* loquatur, non ideo etiam *indefinite* loqui, nec si quem *majorem* dicam, *quam facile sit homo*, hunc cum uno aliquo homine incerto sed cum totius generis humani natura et indole comparari; immo prorsus eodem modo interpretatus est Kirchnerus, quem ipse Orellius cum Heindorfio conjunxit: *sei selbst er geglättet für einen* etc. neque adeo Weichertus p. 280, quamvis utrumque impugnaret, Bothio aliud atque Heindorfio propositum fuisse existimavit.

parativa in ejus locum succedit, quae alias per id quod est *ἢ κατά* sive *quam pro* et similes formulas declaratur. Sic Sophocles Oed. Tyr. v. 1374: *ἔργ' ἐστὶ κρείσσον' ἀγχόνης εἰργασμένα*, non ut facinorum magnitudinem cum magnitudine suspendii committat, sed ut majora esse significet quam quae suspendio compensari possint; idem Oed. Col. v. 439: *μείζω κολαστὴν τῶν πρὶν ἡμαρτημένων*, hoc est, ut recte Wunderus explicat, *ἢ κατὰ τὰ ἡμαρτημένα*, neu quis haec in genitivi tantum constructionem cadere existimet, reliquis omnibus exemplis omissis, quorum etiam grammatici haud exiguum numerum praebent [40]), unum subjungam Euripidis Alcest. v. 233: *καὶ πλέον ἢ βρόχῳ δέρην οὐρανίῳ πελάσσαι*: ex Latinis autem huc referri poterit Plautinum in prol. Rudentis v. 20:

majore multa multat quam litem auferunt,

id est *quam pro ea lite quam auferunt*, vel si cui hoc etiam ambiguum videatur, comparet Curtium VI. 6. 2: *patrios mores disciplinamque Macedonum . . velut leviora magnitudine sua ducens*; Senecam Hippol. v. 1032: *litus invexit malum majus timore*; Tacitum Hist. III. 53: *literas ad Vespasianum composuit jactantius quam ad principem*, ubi clarum est non Vespasianum principi opponi, sed ipsum principem dici, nec nisi mensuram, quae literarum esse debuerit, cum ea quae revera fuerit comparari; denique Juve-

40) Cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 1216, Halm. lectt. Aesch. p. 30. pluraque apud Matthiaeum gr. Gr. §. 451 et Kühnerum T. II, p. 451.

nalem, qui identidem sibi in hac constructione placuit, ut IV. 66: *privatis majora focis*, III. 203: *lectus Procula minor*, XV. 140: *infans minor igne rogi*; quibus omnibus comprehensis vix amplius fore arbitror, qui Horatii quoque verba ita explicari posse neget, ut Lucilium limatiorem fuisse concedant, quam pro ea condicione, in qua auctorem rudis Graecisque intacti carminis versari consentaneum fuerit. Quanquam me ipsum adhuc non plus effecisse sumo, quam ut hanc interpretationem non minore quam alteram auctoritate a linguae legibus uti appareat; quod restat nunc demum aggrediar, ut eandem a literarum quoque Latinarum historia etiam magis commendari, denique poëtae sententiae unice convenire ostendam.

III.

Omnem adversariorum ratiocinationem, quae quidem in censum venire posset, eo fundamento niti vidimus, ut *rude* quidem *Graecisque intactum carmen* satiram esse agnoscerent, Ennium autem ante Lucilium satiras scripsisse monerent; quod si illud satirarum genus, in quo Ennius operam suam collocavit, idem fuisse constaret cum hoc quod Horatius *intactum Graecis* appellat, nihil proclivius aut manifestius cogitari posset. Verum enimvero longe aliter videbitur ei, qui ipsum illum Quinctiliani locum, ubi satira tota Romanis vindicatur, integrum inspexerit; ubi non modo nihil de Ennio ejus auctore legimus, sed Quinc-

testatur; neu quis eo confugiat, ut Ennium invenisse quidem, sed nullam aut exiguam laudem ex eo genere retulisse arguat [41]), primum caveat, ne deterius sentiat de homine sui temporis ingeniosissimo, quem nulli operi manus admovisse consentaneum est, quin aequalibus probaret ipsaque nominis sui fama etiam posteritati commendaret; deinde vero advertat, quae ipse Quinctilianus paulo inferius scripsit: *alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro,* unde luce clarius apparet praeter satiram Lucilianam, quam totam Romanam, hoc est Graecis intactam Quinctilianus praedicat, etiam aliud genus eodem nomine exstitisse, quod quum *etiam prius* dicatur, non solum Lucilium, qui primus in altero insignem laudem adeptus est, verum etiam quicunque hujus sive auctor sive inventor fuit, antecessisse necesse est. Nam quod alii aliter corrigendo efficere conati sunt, ne *prius* hoc genus Quinctilianus appellasse videretur [42]), haud scio an ipsa conjecturarum multitudo eandem speciem praebeat, quam simili in causa Ruhn-

---

41) Ut Weichertus l. c. p. 281: *Quintilianus vero minime negat ante Lucilium fuisse qui satiras scriberent, sed tantum dicit Lucilium in hoc carminum genere primum inclaruisse; quare etiam Ennium ut satirarum scriptorem omisit.*

42) Singulos qui nosse cupiat, Spaldingii editionem adeat; unius tantum Heinrichii ipsa verba subjeci ex Explanationum Horatianarum prooemio, Kiliae 1808. 4, p. 13; quia hujus conjectura, quamvis ad Quinctilianum emendandum non necessaria, tamen illud ostendit, quod summi in nostra quaestione ponderis est, viro acutissimo alterum satirae genus nihil minus quam Graecis intactum visum esse: *breviter hic dicere licebit, per eos nimirum qui loci difficultatem norunt, istud* prius *depravatum esse ex compendio literarum quum auctor scripsisset* peregrinum; *domestica erat satira Luciliana, et haec altera peregrina, ab inventore videlicet Graeco!*

kenius salso dicto perstrinxit, tanquam Sardos venales alteram altera nequiorem esse [43]); tantumque abest, ut Quinctilianus inconstantiae accusari sibique ipsi repugnare videri possit, quum duobus generibus distinctis Varroniani originem Lucilio anteponat, ut ipsa illa Varronianae satirae descriptione, qua eam *non sola carminum varietate mixtam* dixit, etiam antiquiorem ejus formam fuisse innuat, sola scilicet carminum varietate compositum, quod Varro demum pedestris sermonis partibus interjectis ad eam formae libertatem evexerit, quam nos quoque et ex ipsius reliquiis et ex Senecae Petroniique libris existimare possumus. Hujus autem antiquioris formae quem potius principem ac conditorem dicamus quam ipsum Ennium non habemus, neque ipse Casaubonus Quinctiliani verba aliter explicari posse intellexit [44]); quae quum ita sint, nihil planius esse videatur, quam eum, qui prioris generis princeps atque inventor habendus sit, non etiam Luciliani hoc est posterioris generis auctorem appellari potuisse. Welckerus certe quod non Ennii sed Menippi causa, cujus ab imitatione Varronis satira Menippeae cognomen accepit, hujus formam priorem dici statuit [45]), in Latinarum

---

43) Cf. Wyttenbach. vit. Ruhnken. p. 221.

44) Cf. ipsius verba, quibus summa disputationis comprehenditur, p. 199: *nimirum hoc voluit Fabius, satiram, in qua Varro claruit, eam ipsam esse quam vetusti scriptores, quorum facile princeps Ennius, illustraverant; hoc interesse tantum, quod illi sola metrorum varietate poëmata sua satyrica condierant, Terentius vero etiam prosam satirae suae miscuerat*

45) Welckerus ad Theognid. reliqu. p. XCIII

mus: nunc ad Casaubonum redeundum est, qui licet ipsa Quinctiliani verba praeclarissime enarraverit, idem rursus iisdem locis, quos summum utriusque satirae discrimen tantum non digito monstrare vidimus, ita abusus est, ut Ennium etiam Lucilianae generis principem faceret eoque pacto et Horatii perperam intelligendi auctor existeret et ipsorum satirae Romanae primordiorum confundendorum exemplum ederet, quod deinceps fere omnes qui de hoc argumento scripserunt temere secuti sunt. Rupertium quidem jure nostro miramur, qui nisi aliena scrinia compilare et undique decerptam olivam fronti praeponere quam suo judicio uti maluisset, postquam Lucilii satiram *ab Enniana in forma pariter atque in materia discrepare* intellexit [49]), profecto non erat cur Ennium potius satirae Graecis intactae auctorem dici statueret; Manso autem non dubitavit utrumque ita conjungere, ut Lucilium successorem Ennii appellaret, illumque huic etiam quae praecipue in eo Horatius admirabatur, vitiorum reprehensionem libertatemque dicendi, qua

primores populi arripuit populumque tributim,
scilicet uni aequus virtuti atque ejus amicis,

accepta retulisse suspicaretur [50]); denique Wachsmuthius eo us-

---

lius et Horatius et Persius; at olim carmen quod ex variis poëmatibus constabat, satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.

49) Praefat. Juvenal. T. I, p. XLVIII.

50) Nachträge zu Sulzer T. IV, p. 417: *sollte es wohl eine unstatthafte Muthmaſsung seyn, wenn ich annehme, daſs auch diese der Satire gegebene Richtung, dieser ernstere Ton, diese*

que processit, ut vel Horatium per Lucilium ab Ennii exem
plari suspenderet, omnemque Horatianae satirae ab Enniana dis
tinctionem, quippe externa tantum et fortuita captantem, solidi
rationibus niti negaret [51]), nec recentissimis literarum Latinarun
enarratoribus aliter visum esse intelligimus, si quidem Ennium
Pacuvium, Lucilium, Varronem, Horatium, Persium, Juvena
lem, solo temporum ordine distinctos, uno eodemque capite com
prehenderunt, nec quidquam amplius Lucilio tribuerunt, quan
ut satiram ab eo magis excultam et perpolitam [52]) vel ad sub
limiorem destinationem traductam esse narrarent [53]). Hac igitu
confusione ne aut Horatiani loci interpretatio turbetur, aut ips
Horatius, quod passim factum est [54]), praepostere inter Ennian

---

nähere Beziehung auf das Sittliche, eine von den Eigenthümlichkeiten der Versuche des Ennii gewesen sey, zumal da Horaz es seinem Nachfolger Lucil ausdrücklich zum Verdienst a rechnet, daſs er jeden Schalk in seiner Blöſse dargestellt habe und Niemanden hold gewesen se als der Tugend und ihren Verehrern?

51) Athenaei p. 214: *die Worte des Diomedes . . haben zu einer unwesentlichen Scheidun der Ennianischen Satire von der Horazischen Veranlassung gegeben; man sieht aber bald, da aus dieser Stelle auf keine Verschiedenheit des innern Wesens geschlossen werden kann, sonder daſs nur von der äuſsern Form . . die Rede ist* etc.

52) Baehrius Gesch. d. röm. Liter. p. 217: *gröſsere Ausbildung und Vervollkommnung erhie die Satire durch den römischen Ritter C. Lucilius* etc.

53) Bernhardyus Grundriſs d. röm. Liter. p. 244: *aber die geistige Bestimmung der Sati legte zuerst der Ritter C. Lucilius aus Suessa dar* etc.

54) Sic Manso p. 218 de Ennio: *der Lobspruch, den ihm Horaz als Erfinder gibt;* ite Wachsmuthius: *Ennius ist daher nach Horatius gültigem Zeugnisse für den Urheber der ganze Gattung zu halten, und nur nach dem Grade der innern und äuſsern Vollkommenheit von seine Nachfolgern verschieden;* Schoberus de satirae initiis p. 9: *ejus inventorem Q. Ennium fuisse e Horatio discimus;* Rupertius p. LIII etc.

principatus testes et praecones referatur, primum quidem de satirae Ennianae et Lucilianae discrimine quid nobis videatur paucis explicabimus, deinde vero utriusque natura et indole descripta illud certe efficere conabimur, ut Horatium in iis verbis, unde omnis nostra disputatio pendet, de Ennio ne cogitare quidem potuisse appareat.

IV.

De nomine satirae vocabulique orthographia quae olim inter viros suae aetatis doctissimos controversia agitata est, recte nunc composita jacet, neque ea nobis mens est, ut cum G. J. Vossio illud inter saturam Lucilii et Ennii discrimen statuamus, ut altera quidem a Latina voce, altera vero a Graecorum satyris originem duxerit [55]); quo rectius autem Casaubonus ejusque sectatores genuinam et primariam satirae Romanae vim et significationem intellexerunt, eo magis mirum est eos omnia scriptorum genera, quibus id nomen impositum esset, ad unum fontem certumque auctorem revocare studuisse, neque recogitasse eam ipsam interpretationis suae naturam esse, ut diversissimas res eodem satirae vocabulo comprehendi patiatur. Scilicet satiram dictam esse docuerunt velut lancem saturam, *quae permixtis variisque primitiarum*

---

55) Etymol. l. lat. p. 450: *ut magis liqueat utra sententia sit potior, distinguendum fortasse inter satyram* Lucilii, Horatii, Persii, *et satyram* Ennii, Varronis: *prior ita dicta videtur a* satyrica poësi, *nam huic et sillis erat similis ob maledicentiam* . . *at* satura *Ennii et Varronis ex eo nomen accepit, quod multa metra ac res pariter misceret* etc.

generibus referta inferebatur, vel legem, *quae uno rogatu multa comprehenderet* [56]), quod si vocabulum nulla cum aliquo argumento affinitate nexum nihil nisi miscellanea et fortuita ingeniorumve lusus declarare apparet [57]), profecto temerarius erit, si quis omnes poëtas, qui quacunque de causa carmina sua hoc nomine inscripserunt, propter solam tituli communionem uno poësis genere conjunctos pari et continua argumentorum serie complecti voluerit, eodemque jure ad ipsos Graecorum satyros redibit, quos quamvis ab historica satirae Romanae specie prorsus alienos etymologicam tamen vocabuli originem cum hac communem habere veri haud absimile est [58]). Uno verbo dicam: eadem hujus vocabuli condicio ac fortuna fuit quae *idylliorum* vel *eclogarum*, quae quum et ipsa initio nihil aliud nisi minutorum carminum miscellanea vel delectum significarent [59]), Theocriti demum et Virgilii auc-

---

56) Diomedes l. c. p. 483; cf. Frontonis laud. fumi et pulv. praef. §. 10: *non sparsa nec sine discrimine aggerata ut ea quae per saturam feruntur*, pluraque apud Casaubonum p. 250 sqq. et Wachsmuthium p. 209 sqq.

57) Paldamus über Ursprung und Begriff der Satire p. 17: *hier sind* saturae *offenbar Darstellungen ohne alle bestimmte Form, Charakter, Inhalt, bei denen man sich so viel und so wenig denken kann als bei* Tutti frutti *und ähnlichen Benennungen* . . *sie war bis* Ennius *Naturpoësie, aber ebenfalls ohne allen bestimmten Charakter und Form, und tritt mit ihm als Kunstpoësie, aber ebenfalls ohne alle weitere Bestimmtheit als die der Mischung auf*; similiterque Eichstadius de dramate comico satyrico, Lips. 1793. 8, p. 61: *comprehendebant enim isti poëtae saturarum vocabulo* varios *carminum lusus, argumento inter se dispares vinculisque certorum numerorum tam parum adstrictos, ut non ingredi libere sed licenter errare viderentur.*

58) Paldamus ibid. p. 9 sqq. Adde Astii Grundriſs der Philologie, Landishuti 1808. 8, p. 456 et Schoberum de satirae initiis p. 6.

59) Plin. Epist. IV. 14. 9: *proinde sive* epigrammata *sive* idyllia *sive* eclogas *sive ut multi*

toritate factum est, ut quum horum carmina bucolica idylliorum et eclogarum inscriptione edita essent, nomina illa huic generi propria et synonyma viderentur [60]) adeoque existerent, qui hanc significationem etymologica ratione ex *eclogarum* vocabulo derivare conarentur [61]); eadem tamen nomina etiam posterius ad diversissima carminum genera uno corpore comprehendenda inservierunt, utque neminem Baehrio assensurum esse arbitror, qui Ausonii Idyllia una cum Virgilii Calpurniique eclogis ad bucolicae poësis titulum retulit [62]), neque Ennii satirae cum Luciliana plus quam fortuitum nomen commune fuisse persuasum habeo. Illud quidem negari nequit, nimis exigua Ennii ad nos fragmenta pervenisse, quae veram et singularem prioris illius satirae conformationem a nobis existimari permittant [63]); sed quum

---

poematia, *seu quod aliud vocare malueris licebit voces* etc. Cf. Wissowae Theocritus Theocriteus, Vratisl. 1828. 8, p. 14 — 17 et Weicherti poët. lat. reliqu. p. 20 sq.

60) Heynius ad Virgil. Eclog. p. 18: *cum primo latius pateret et ad quodvis carminis sive operis genus pertineret, quod e pluribus delectum esset aut e pluribus ejusdem formae constaret . . adhaesit id nomen e grammaticorum doctrina generi bucolico* etc.

61) Sic in commentario ad Theoduli eclogam, cujus specimen e codice Marburgensi edidit Aug. Aem. Alfred. Beckius Gothanus 1836, p. 20: *egloga dicitur ab* egle *graece quod est capra (αἴξ) et logos sermo quasi* sermo caprinus *et vocatur quasi sermo fabulosus egloga propter ejus utilitatem!*

62) Gesch. d. röm. Literatur p. 303 sqq. Mirum tamen eundem Claudianum ad hoc genus non retulisse, cujus item idyllia habemus.

63) De his praeter Casaubonum p. 191 sqq. cf. Schoberum de satirae initiis p. 9 sqq. Wissius quod in quaestt. Horat. lib. V, p. 18 Ennii satiras ad *togatas tabernarias* retulit, prava lectione in errorem ductus est apud Diomed. l. III, p. 488, ubi jam Putschius *Quintium* restituit pro *Quinto Ennio.*

vetus regula sit, affirmanti probationem incumbere, illud certe quovis pignore contendo, sublata nominis similitudine, cujus in hoc vocabulo nullum momentum esse ipsis modo adversariorum testimoniis ostendi, nihil inveniri posse, quod Lucilium in satiris scribendis Ennii potius exemplum quam suum ingenium secutum esse arguat, adeoque pauca illa, quae de satira Enniana tradita legamus, ita comparata esse, ut diversa potius quam cognata genera testari videantur. Primum enim omnino non intelligimus, quomodo veteres, si *Enniana satira ab Luciliana non tam genere carminis quam materia et illius tractandae modo differret* [64]), utramque ita dispescuissent, ut non modo duo genera efficerent, verum etiam Ennianam quamvis tempore priorem secundo loco ponerent, quo facto haud scio an ipsum illud significetur, quod toti huic nostrae disputationi propositum est, ejus quidem satirae, quae a vaga et fluctuante nominis vi ad certae potestatis ambitum traducta literas Latinas novo poësis genere locupletavit, Lucilium auctorem ac principem fuisse, illa vero carmina, quae eodem nomine antea ab Ennio edita fuerint, propter solam inscriptionem a metrorum varietate repetitam permisceri cum ea non debere; ac si vel maxime concederem ordinis illam collocationem fortuitam esse, optimo tamen jure miraremur Quinctilianum, quum hoc saltem Ennio et Lucilio commune esset, ut versibus uterque uteretur, nihilo magis hos duos conjunctos

64) Verba sunt Weicherti Casaubonum sequentis p. 280.

pedestri Varronis satirae opposuisse, sed ita de hac locutum esse, ut ipse Casaubonus eam ab Enniana suspensam una cum hac tanquam priorem Lucilianae opponi intelligeret. Deinde probe tenendum est, omne quantum a Diomede Ennianae satirae proprium ac praecipuum tribuatur, in formae varietate cerni, qua ipsa Varronis satiras insignes fuisse constat, nec multum interest, quod ille sola carmina inter se miscuit, hic etiam pedestris sermonis partes interposuit; Lucilium autem quod Casaubonus et ipsum vario metro usum esse arguit [65]), longe opinor alia ratio est ejus, qui diversos libros diversis numeris componit, atque ejus qui uno eodemque libro varia metra comprehendit; nec si Ennio singulos satirarum libros a sola metrorum diversitate inscribere licebat, eadem Lucilii causa esse poterat, qui quanquam etiam trochaico numero integros libros composuit, singulos tamen singulis metris eoque ut plurimum heroico conscripsit. Materiae denique ipse Casaubonus potissimum discrimen fuisse agnovit, neque vel illud concesserim, quod pluribus etiam ipsius sectatores persecuti sunt, utramque satiram ad morum doctrinam spectasse; nihil certe inter Ennii reliquias exstat [66]), quod non

65) De poësi satyr. p. 213 sqq.

66) Ipse Rupertius, quanquam *didacticam* satiram Ennianam appellat eamque *ad utilitatem communem moresque hominum* spectasse ait, *ceterum*, inquit, *de indole satirarum Ennii ab antiquis scriptoribus haud scio an quidquam memoriae proditum sit nisi quod Quinctilianus Inst. Orat.* IX. 2. 36 *tradit* Mortem *ac* Vitam *contendentes ab eo inductas esse, et aliis laudatur* Asotus *sive* Sotadicus, *titulus satirae Ennianae, in qua luxuriosi vel dissoluti hominis imaginem*

eodem modo etiam in Plautinis fabulis locum habere potuerit, quas etsi sententiis gravibus et acutis abundantissimas non magis quam P. Syri mimos ad morum emendationem scriptas fuisse quisquam censebit [67]), tantumque abest ut eum in carpendis hominum vitiis quamvis e longinquo ad Lucilii libertatem accessisse consentaneum sit, ut totam vitam delectandis aequalium animis rebusque eorum praedicandis impendisse videatur [68]). Quid quod ipsum Scipionem, carmen in laudem magni Africani compositum, satirarum partem fuisse non sine probabilitate nuper pronunciatum est [69]); utque hanc suspicionem ad liquidum perduci vix posse concedam, ab eo saltem opprobrio immunis erit, quo locus encomio inter satiras tribui non posse videatur [70]); ex

---

adumbrasse videtur. Addere poterat *apologum Aesopi*, quem teste Gellio II. 29 *Ennius in satiris scite admodum et venuste versibus quadratis composuit;* sed haec omnia satiram, qualem Lucilii Horatius describit, non efficiunt.

67) Cf. C. Lingius de Plauto properante ad exemplar Epicharmi (ad Horat. Epist. II. 1. 58) Ratibor. 1827. 4, p. 9: *videtur etiam illius similis fuisse in eo quod summam jocorum hilaritatem et audaciam temperabat sapientiae praeceptis magnaque sententiarum gravitate* etc. Adde G. A. B. Wolfii prolegg. ad Planti Aulalariam, Numb. 1836. 4, p. 34, qui etiam *formas* illas, ut cum Quinctiliano loquar, hoc est personificationes allegoricas, quibus Plautus in nonnullis prologis usus est, ut *Luxuriam* et *Inopiam* in Trinummo, ad idem genus refert.

68) De Ennio nobilium sui temporis sectatore et assentatore cf. C. L. Blumii Einleitung in Rom's alte Geschichte, Berol. 1828, p. 33 sqq. et Fr. Ritterum in Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1840, No. 45 sqq.

69) Cf. Lerschius in Welckeri Rhein. Mus. T. V, p. 420 et in Zeitschrift f. d. Alterthumsschaft 1837, p. 1047.

70) Ritterus l. c. p. 394: *dafs Ennius die Heldenthaten des Scipio nicht in einer Sammlung von Satiren zum Besten gegeben haben wird, sollte sich von selbst verstehen; wenigstens dürfen wir ihm ohne die triftigsten Gründe eine solche Verkehrtheit und Abgeschmacktheit nicht aufbürden!!*

illa enim hujus vocabuli notitia, quam ante Lucilium solam fuisse superius monui, non magis abhorrebat a laudatione, quam v. c. Theocriti idyllia a Ptolemaeo praedicando vel Statii silvae a Domitiani laudibus canendis, atque omnino haud scio an plurima eorum carminum, quae praeter Annales ab Ennio conscripta ferebantur, nihil nisi partes integri satirarum corporis fuerint, praesertim quum ne librorum quidem numerus inter grammaticos conveniat [71]), ut facile suspicemur eodem modo quo in Aristotelis libris accidisse constat, in aliis bibliothecis satiris accensitos esse, qui in aliis singulari titulo inscripti exstarent. Sed conjecturas nunc quidem, quum non literarum Latinarum historiam tractemus, sed de Horatii tantum verbis disputemus, mittam; idque solum retinebo, quod ipsis adversariorum conjecturis refutatis effecisse mihi videor, Ennii satiras, quantum quidem veterum testimoniis constet, a metrorum tantum varietate nomen accepisse, carmen autem ipsius argumenti varietate miscellum perque omnem vitae humanae farraginem licenter vagum [72]) primum Lucilium condidisse; quod si illud

---

71) Porphyrio ad Horat. Serm. I. 10. 46 Ennium *quatuor libros satirarum reliquisse* ait; Donatus vero ad Terent. Phorm. II. 2. 25 versum ex *sexto* earundem libro laudat.

72) De convenientia nominis *satirae* ad Lucilii carmina recte jam Spanhemius ad Juliani Caesares, nisi quod verborum Graecorum cum Latinis conjunctionem praeter rem immiscuit, préf. p. XV: *Il suffira de toucher ici en passant, que le nom de* Satire *dans le méme sens de* Poëme mèlé *ou* varium, *ne convenoit pas mal à celles de Lucilius, qui entre autres y avoit mélé du Grec avec le Latin, et vû qu'il y entroit d'ailleurs en mélange de plusieurs choses différentes. On trouve la méme chose dans les Satires de ceux qui l'imitèrent en ce genre d'écrire, qui recon-*

praeterea ostendero, utrum horum generum rectius *Graecis intactum* dici potuerit, utriusque poëtae majori jure *auctoris* appellatio conveniat, pro hujus scriptionis proposito satis me fecisse spero.

V.

Fuerunt sane non pauci atque etiam nostra aetate exstiterunt qui ipsius Lucilii satiram ad Graecorum exemplarium imitationem expressam existimarent, adeoque missa illa Satyrorum comparatione, cui Casaubonum finem imposuisse diximus, vel ad priscam Atticorum comoediam [73]) vel ad sillos Graecorum [74]) vel ad iambos confugerent, quos sane constat a maledicentia et ludibrio nomen suum accepisse [75]); his tamen et Quinctiliani auctoritas opponi potest, nec re accuratius spectata interna argumenta desunt, unde ne hoc quidem nomine Horatii verba ad alium a Lucilio detorqueri posse appareat. Iambus certe, qualem inter Graecos Archilochus condidit, quamvis indignationis fervore et lyrico quodam impetu magnam cum satira affinitatem habeat, tamen hac ipsa re rursum ab illa differt, quod nimia dicacitate ruens non ut

---

noissent eux-mémes cette grande variété de sujets dans ces sortes de poëmes, quidquid agunt homines, *comme ils disent* etc.

73) Cf. Astius de Platonis Phaedro, Jenae 1801. 8, p. 25 et Dziadecki satira Romanorum, imprimis Luciliana, antiquae comoediae Graecorum non dissimilis, Conitz 1832. 4.

74) Cf. Casaubonus p. 219 sqq. Heinsius de satira Horat. p. 31 et 134 sqq. Ast. Grundrifs der Philologie p. 455.

75) Cf. Aristot. Poëtic. IV. 10 et Diomedem grammaticum p. 482, qui ipsum Lucilium inter eorum poëtas refert, sicut etiam Bernhardyus Grundrifs d. röm. Liter. p. 230 eundem Italorum Archilochum appellat.

Horatius res sibi sed se rebus subjungit hominesque ipsos non vitia eorum aggrediendo suam ipse impotentiam prodit [76]; cujus etsi disjecta tantum membra ad nos pervenerunt, tamen et fama multa de Archilochi Hipponactisque odiis prodidit, manifestumque Horatii exemplum tenemus, quem quum epodon librum ad Archilochi imitationem composuisse constet [77], inter Lucilium quoque et Graecorum iambographos non minus discrimen statuere poterimus, quam quod inter Horatii epodos et sermones intercedere videmus. Majorem veri speciem comoediae comparatio habet, si quidem haec non solum Diomedis verum etiam ipsius Horatii testimonio nititur, qui ab Eupolide atque Cratino aliisque,

— *quorum comoedia prisca virorum est*,

omnem Lucilium pendere hosque *pedibus tantum numerisque mutatis* secutum esse ait [78]; eodemque sensu Persius eum sibi lectorem expetit, qui *audaci Cratino afflatus iratum Eupolidem praegrandi cum Aristophane palleat* [79]; at quantumvis magna sit libertatis et amaritudinis inter utrosque affinitas, tamen et metri mutatio in tanta concinnitate, quanta formam carminis et argumentum con-

76) Cf. Bodii Geschichte der lyrischen Dichtkunst der Hellenen, T. I, p. 292 sqq.

77) Quinctilian. X. 1. 96.

78) Serm. I. 4. 6; cf. 10. 16: *illi scripta quibus comoedia prisca viris est, hoc stabant, hoc sunt imitandi* etc.

79) Pers. I. 123 sq. *Senem* enim dici *Aristophanem* totus sententiarum nexus declarat, nec mirandum est, etsi nemo veterum hunc senectute insignem fuisse tradidit; recte jam Barthius ad

jungi decet, ad ipsam poëtici generis distinctionem parvi pendenda est, et ceterae utriusque generis notae haud scio an majorem differentiam quam similitudinem exhibeant. Nempe fabulas argumento seri necesse est; atqui hoc ipso nomine Livius primas Andronici fabulas Latinas a satiris distinguit [80]), utque concedam nec Lucilianae satirae cum his priscorum histrionum ludis praeter nomen quidquam commune esse, id ipsum tamen nomen vereor ut Lucilius carminibus indiderit, quae certi argumenti descriptione ad comoediae Graecae rotunditatam composita essent. Praeterea haud negligendum est, comicum poëtam populo scribere, satirarum scriptorem sibi paucisve, quos eadem secum sentire sciat, nec Persius tantum eo animo fuit, ut quamvis *vel duos vel neminem* satiras suas lecturum praesagiret, muttire quam conticessere mallet, sed Horatius quoque in se transtulit, quod mima olim explosa dixerat: *satis est equitem mihi plaudere* [81]), ipsumque Lucilium Cicero testatur *ea quae scriberet neque ab indoctissimis neque a doctissimis legi voluisse* [82]); quod si certa res est *omnes qui placendi causa scribant, qualia placere viderint scribere* [83]), simul cum lectorum auditorumve diversitate etiam totam carminis indolem mutari necesse erit. Neque adeo ipsi

80) Liv. VII. 2.

81) Serm. I. 10. 76.

82) Cicero de Orat. II. 6, §. 25; cf. de Finibus I. 3, §. 7.

83) Plinii verba sunt Epist. III. 18. 9.

veteres grammatici, qui huic comparationi indulserunt, inter se consensisse aut rerum gestarum fidem magis quam externam speciem secuti esse videntur; quorum unus ita rem informavit, ut Graecae Romanaeque scenae vicissitudinibus confusis satiram quasi mediam inter antiquam et novam comoediam interponeret [84]), alius ipsius comoediae Latinae duo genera posuit, quorum antiquius fabulis, posterius satiris attribuit [85]); postremo exstitit qui ad Rhinthonicarum fabularum similitudinem descenderet [86]), quas quum heroico versu usas esse reperisset [87]), etiam metri discrepantiam hac ratione vitare sibi videbatur idemque nostris temporibus invenit quibus persuaderet. Sed ut mittam omnem illam satirae cum comoedia comparationem ex linguae

---

84) Evanthius de trag. et com. ante edit. Terentii Zeun. T. I, p. XXVII: *quod item genus comoediae multis obfuit poëtis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus ac deformasse genus stilo carminis, quod primo* Lucilius *novo conscripsit modo, ut poesin inde faceret, id est unius carminis plures libros; hoc igitur quo supra diximus modo coacti amittere satiram aliud genus carminis τὴν νέαν κωμῳδίαν hoc est novam comoediam reperere poëtae* etc.

85) Isidor. Origg. VIII. 7. 7: *duo sunt autem genera comicorum, id est veteres et novi: veteres, qui et joco ridiculares existunt, ut Plautus Actius Terentius; novi qui et satyrici, a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus Persius Juvenalis et alii.*

86) Joannes Laurentius Lydus de magistratibus reip. Rom. I. 41: *καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραφε πρῶτος κωμῳδίαν, ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε· μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικοὺς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν κ. τ. λ.*

87) Cf. Osann. Anal. crit. rei scaenicae, Berol. 1816. 8, p. 67 sqq. et in Welckeri Rhein. Mus. T. II, p. 721 sqq.

Graecae ambiguitate repeti posse, quae et fabularum actionem et quamlibet exagitationem cum ludibrio conjunctam eodem verbo *κωμῳδεῖν* appellabat [88]), ne Rhinthonem quidem integras fabulas hexametris composuisse verisimile est [89]), quos si quando adhibuit, eodem consilio fecit, quo Atticae comoediae poëta Cratinus in Ὀδυσσεῦσι fecerat [90]), ut veterum epicorum argumenta et orationes spectatoribus ridendas proponeret, quo in genere totam Rhinthonis poësin versatam esse constat [91]); quod autem fuerunt quibus ipsa Lucilii satira ad hoc parodiarum genus referenda videretur [92]), neque fragmentis quae exstant neque veterum testimoniis ipsaque carminis indole confirmari arbitror. Gellii enim narratio, qua Lucilium ceterorum poëtarum carmina obtrectasse ait [93]), non plus probat quam quod apud Horatium legimus eum *versus Ennii gravitate minores* risisse [94]), hoc est summae libertatis exactique judicii hominem, quum universa aequalium vitia sibi

---

88) Cf. Perizon. ad Aelian. Var. Hist. II. 13, p. 104. Hinc etiam *σιλλοὶ ποιήσεως εἶδος κωμικῆς* apud Eustath. ad Iliad. II. 212.

89) Cf. Reuvenaii collect. literar. Lugd. B. 1815. 8, p. 80 sqq.; Mülleri Dorier T. II, p. 365; Bodii Gesch. d. dramat. Dichtkunst T. II, p. 99 sqq.

90) Cf. Meinek. quaestt. scen. sp. I, p. 34; Fr. Ritter. de Aristoph. Pluto p. 24; Grauert. in Niebuhrii Rhein. Mus. T. II, p. 503; Bergk. de com. Att. reliqu. p. 141.

91) Cf. Eichstad. de dram. com. satyr. p. 43 sqq. Grysar. de comoedia Doriensium p. 55.

92) Lange vind. trag. Romanae p. 34: *sed haud injuria inter παρῳδοὺς tragicorum referri existimo Lucilium satirarum scriptorem.*

93) Gell. N. A. XVII. 21: *neque magno intervallo postea Q. Ennius et juxta Caecilius et Terentius ac subinde et Pacuvius et Pacuvio jam sene Accius clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.*

94) Serm. I. 10. 55.

exagitanda proposuisset, ne ei quidem genere pepercisse, in quo se ipsum aliquid posse intelligeret; parodiae vero Caecilii Terentii Pacuvii Accii a Lucilii carminibus heroico metro conscriptis ob eandem causam alienae sunt, qua modo Rhinthonis hexametros ex epicorum parodia explicavimus; neque Bionis Borysthenitae exemplum agnosco, cujus etsi *disputationibus, quibus vulgi stultitiam arguit*, Horatii interpres *paene consentire carmina Luciliana* tradit [95]), tamen nec illud liquet, quantum ex ipsis Horatii verbis, ut assolet, scholiasta finxerit, nec ut par illius Lucilii acerbitas fuerit adeoque *mordacissimis salibus ea quae apud poëtas essent laceraverit*, inde sequitur, ut parodico genere usus sit, cui summum ille studium impendisse videtur [96]). Omnino haud scio an ab illa ingenii alacritate et vigore prorsus juvenili, quo Lucilium insignem fuisse omnes consentiunt, nihil magis abhorreat quam illa senescentis artis forma, quae quum ipsa nihil amplius procreare possit, alienorum carminum inversione suae hebetudini succurrat, tantumque abest ut in parodiarum scriptorem cadat, quod vel Juvenalis de satira sua praedicat, ipsam quasi *indignationem versum facere* [97]), ut frigido irrisionis artificio diligentiam poëtae et meditationem prodat [98]);

95) Acro ad Horat. Epist. II. 2. 60: *carmine tu gaudes, hic delectatur iambis, ille Bioneis sermonibus et sale nigro.*

96) Cf. Diog. Laert. IV. 52 pluraque apud J. M. Hoogvliet de Bione Borysthenita, Lugd. B. 1821. 4, p. 11 et Welcker. ad Theognid. p. LXXXV sqq.

97) Juvenal. Satir. I. 79.

quod si vel maxime reprehendendum erat in Lucilio, quod *lutulentus flueret* et *in hora saepe ducentos*

ut magnum versus dictaret stans pede in uno [99]),

hoc certe ipsum ostendit ex se omnia illum petiisse neque fulcro extrinsecus arrepto eguisse. Atque eadem de causa etiam sillorum comparatione supersedere posse videmur, quorum etsi id nomen est, quod etymologica ratione spectatum [100]) ejus poëtae instituto conveniat, quem Plinius *primum stili nasum condidisse* ait [101]), tamen quotquot exstant vestigia, veterum poëtarum parodiam prae se ferunt [102]), neque opinor sufficit ad comparationem, si Lucilius unum alterumque Homeri versum, qui in proverbialem vim abierat, integrum satiris immiscuit [103]), quas ceteroquin tam

---

gelegt und durchgeführt durch ein längeres oder kürzeres Dichtstück wird und ist sie nothwendig Product des Gedächtnisses, des combinirenden Witzes und der Reflexion, entblöſst von der Begeisterung, die den ächten Dichter, auch wenn er planmäſsig sein Kunstwerk bildet, nie verlassen darf etc.

99) Horat. Serm. I. 4. 10.

100) Hemsterh. ad Polluc. IX. 148: *sic igitur ab illo fonte σιλλός pro acerba irrisione usurpari amavit parili modo quo μυκτὴρ Romanisque nasus* etc. Alii quidem aliter; cf. Lexica et F. Paulum de Sillis Graecorum, Berol. 1821. 8, p. 8 sqq.; sed nostra nunc nihil interest.

101) Hist. natur. praef. §. 8.

102) Cf. Moserum l. c. p. 302 sqq.; A. Welandum de praecipuis parodiarum Homericarum scriptoribus apud Graecos, Gott. 1833. 8, p. 50 sqq.; Ulricium Geschichte der hellen. Dichtkunst T. II, p. 317.

103) Heinsius quidem de satira Hor. p. 134: *proxime autem*, inquit, *ad sillos accessisse Lucilium certissimum est; qui ut Graeca plurima immiscuit, ita quin alio versus Homericos lepide detorserit non est dubitandum;* sed apposite Moserus l. c. p. 275: *dergleichen Anspielungen können sich zuweilen der Parodie nähern, doch sind sie durch ihren Zweck bestimmt von ihr verschieden, weil die Parodie die Worte selbst formelt, bezielt und in Anspruch nimmt, die Anspielung aber besonders auf das Materielle, den Inhalt geht.*

alienas a poëtico tumore fuisse comperimus, ut pro *gracilitatis* potius exemplo haberentur [104]); asperitatis autem, qua sola utriusque carminis comparatio niti posset, tot genera tamque variae causae esse possunt, ut ne inter Graecos quidem obstiterit, quo minus post Archilochum et Cratinum ipse sillorum inventor novum genus condidisse videretur; quumque in ea quaestione, quae de auctore carminis est, non universam nominis indolem sed certa documenta respici par sit, sillos certe constat, quousque apud Graecos exculti sunt, nunquam aut aequales corripuisse, qua re maxime Lucilius inclaruit [105]), aut omnino tam late patuisse, ut vel procul ad eum ambitum accederent, qui ipso satirarum vocabulo declaratur [106]).

VI.

Quamvis igitur Lucilius neque externam carminis formam sive metrum ex didactica Graecorum poësi asciscere dubitarit, nec primus maledicentiae atque irrisionis exemplum inter poëtas ediderit, certe et illa conjunctio, qua primus aequalium vitia

---

104) Cf. Varro apud Gell. N. A. VII. 14.

105) Cic. ad Div. XII. 16; Pers. I. 116; Juvenal. I. 165 etc.

106) Quae Manso in Nachtr. zu Sulzer T. IV, p. 415 de Ennio ait, nos eodem jure ad Lucilium transferimus: *so wie er sich nämlich von den Satyrspielen durch Form und Einkleidung entfernte, eben so sehr entfernte er sich von den* S i l l e n *durch den Gegenstand oder Inhalt: so weit wir diese aus den erhaltenen Bruchstücken kennen, waren sie sämmtlich gegen* e i n e *Classe von Menschen — gegen Philosophen und philosophirende Dichter — und gegen* e i n e *Art von* [illegible]

heroicis versibus carpere ausus est, et omnis instituti ratio, unde satirarum nomen apud eum pependisse vidimus, adeo ipsius propria habenda sunt, ut jure meritoque *intactum Graecis carmen* condidisse dici possit; neque dubito eo usque procedere, ut eodem modo, quo Romana ingenia a comoediae Atticae dicacitate abhorruerunt, Graecos satirae Lucilianae inveniendae aptos fuisse omnino negem. Nam quum quatuor poësis genera cogitari possint, primum quo res extrinsecus oblatae eadem forma qua oblatae sunt repraesentantur, alterum quod animorum sensus et cogitationes iisdem modis declarat, quibus a singulis hominibus concipiuntur, tertium, quod res extra nos gerendas ex singulorum hominum sensibus atque actionibus concinnat, quartum, quo singularis alicujus hominis sensus animique motus in eam formam rediguntur, ut ab ipsius persona solutae quasi extrinsecus offerri videantur — tria prima ex his, quae plerumque sola numerantur, a Graecis ad summum artis fastigium evecta sunt, in quo Romanis nihil restabat nisi ut illorum vestigia premerent, quartum autem, quod ipsum tertii *ἀντίστροφον* dixerim, vel eam ob causam ab eadem gente inveniri vix poterat, quia non consentaneum erat illos, qui duo priora genera in tertio aptissime conjunxissent, eandem conjunctionem inverso modo iterum tentaturos esse. Neque opinor ipsa Graecorum ingeniorum praestantia patiebatur aut subitam animorum commotionem in rationis et doctrinae speciem transferri aut unum aliquem hominum

illud sibi arrogare, ut judicia sua quasi rei ipsius nomine proponeret nec certa vitia arguere contentus totam populi vitam in censum vocaret et quasi taxatione sua persequeretur. Non opus est ut multis exponam, qualis singulorum civium in rebus publicis Graecorum condicio fuerit, qui licet eadem cum universo populo libertate summa fruerentur, ipsi tamen civitati adeo obnoxii erant, ut omnes in eo consensisse videantur, quod Ephesios vel lege sanxisse accepimus, *ne quis ex ipsis unus excelleret, sin minus, alio ut loco esset* [107]; quod si quis suos ipsius sensus in medium proferre vellet, aut illud prospiciendum erat, ut omnes quantum posset secum sentientes haberet, aut intra privatarum inimicitiarum fines consistendum, quo ex genere Archilochi atque Hipponactis iambi fuerunt; neque in summa democratiae Atticae licentia plus sibi comici sumserunt, quam ut singulorum hominum personis quamvis ficticiis singulos cives insectarentur; ipsam plebem ne carperent, vel lege cautum fuisse dicitur [108]. Longe alia Romanorum causa erat, qui quum singulorum civium honorem tanta cum cura tuerentur, ut jam duodecim tabulae capite sanxissent, *si quis occentavisset sive carmen*

---

107) Cic. Tuscul. V. 36; Diog. L. IX. 2.

108) Xenoph. de Republ. Ath. II. 18: *κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς· ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν, εἴ τίς τινα βούλεται, εὖ εἰδότες, ὅτι οὐχὶ τοῦ δήμου ἐστὶν οὐδὲ τοῦ πλήθους ὁ κωμῳδούμενος ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἀλλὰ ἢ πλούσιος ἢ γενναῖος ἢ δυνάμενος*: quae licet nuper exstiterit qui post Aristophanis Equites scribi potuisse negaret (Gött. gel. Anzeigen 1841, No. 44), Demi tamen personam, qui illic inducitur, longe aliter existimandam esse arbitror.

condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri [109]), eadem ratione etiam animos addiderunt singulis, ut liberius judicarent nec popularis opinionis gratia suos ipsi sensus supprimerent; unde factum est, ut quum a comoediae Graecae licentia prorsus abhorrerent [110]), satirae, quae *quamvis duro et veluti agresti joco de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset* [111]), apertum campum praeberent, simulatque eo mores pervenissent, ut omnino tale reprehensionis genus incurrerent. Haud equidem nego, inter Graecos quoque aliquando evenisse, ut vetere rerum publicarum forma labascente et mores tam insigniter depravarentur et singulorum libertas eum in modum cresceret, ut nec locus nec argumentum satirae deesset; sed si qui eo rerum statu usi sunt, philosophi fuerunt, qui pedestri sermone prava corrigere hominesque praeceptis ad saniorem vitae usum instituere conarentur; sensibus carmine exprimendis novoque poëmatum generi condendo non amplius sufficiebat ingeniorum vigor, qui ut cum flore et potentia illarum civitatum arctissime junctus fuerat, ita una cum illo marcescens, quidquid in eo genere efficere vellet, detorquendis tantum, ut superius vidimus, veterum

---

109) Cicero apud Augustin. Civ. dei II. 9; cf. Davis. ad Cic. Tuscul. IV. 2 et Weichert. poët. lat. reliqu. p. 132.

110) Horat. Epist. II. 1. 152 sqq. Art. poët. 281 sqq.

111) Evanthii verba sunt l. c. p. XXVII; cf. Isidor. VIII. 7. 7: *hi enim universorum delicta corripiunt nec vitabatur ab eis pessimum quemque describere nec cujuslibet peccata moresque reprehendere.*

poëtarum verbis cum putida eruditionis ostentatione praestare poterat. Apud Romanos vero ingeniorum culturam cum rei publicae sanitate adeo non convenisse constat, ut ingruentibus demum propinquae ruinae indiciis quasi in portum aliquem ad literarum studia confugerint neque antea ad summum poëticae artis fastigium pervenerint, quam pristina libertas in unius hominis dominationem transiisset; quod etsi prohibuit, quominus ad cetera poësis genera eam alacritatem caloremque ex genuino vitae fonte petitum afferrent, qui Graecorum carminibus divinam illam dulcedinem formaeque cum ipsis sensibus concinnitatem indidit, satirae tamen originem duplici de causa adjuvit. Primum enim opportune accidit, ut eodem tempore, quo mores corrumpi coepissent, recens poetarum proventus nasceretur, quorum unum alterumve certe illud quoque argumentum arripere consentaneum erat; deinde eadem Romanorum ingeniorum conformatio, quae obstiterat, ne aut sua opera sensus suos tanta carminis varietate, quantam Graecorum vena beata profuderat, declararent aut in imitandis illorum exemplis lyricum fervorem pari formarum volubilitate sequerentur, ipso quasi frigore suo effecit, ut vel singulares sensus, quos subita indignatio movisset, inter enunciandum obrigescerent eamque speciem induerent, quam alias certa tantum et firma epicae et didacticae poësis argumenta gererent. Atque hoc ipsum est, quod superius quarto

ipsorum natura lyrici carminis proprietate declarari oportebat, in eam formam redegerit, ut suo quasi pondere stare communemque sensum exprimere viderentur; quod etiam alii ita enunciarunt, ut satiram lyricis argumentis epicam formam miscere dicerent [112]); neque nego talem carminum indolem ab antiquae artis simplicitate magnopere abhorrere; at enim vero ob eandem causam optimo jure Graecis intactam dicere licebit, in qua Romani pro suae gentis natura excelluerunt. Nimirum Graecos constat longe plurima sensu quodam et vivo animorum impetu egisse, cui tantum modo rationis accessit, quantum ad formam singulari argumento convenientem necessarium esset; Romani statim ab initio ratione et formulis utebantur, unde quum factum esset, ut veram ex se poësin procreare non possent, etiam postquam hanc a Graecis acceperunt, eam maxime formam amplectebantur, quae unitate et aequabili quodam tenore rationi maxime conveniret, eamque etiam in ea transtulerunt, quae Graeci ingenii vigor sine apta modulationis varietate vix protulisset; praesertim quum Romani mores etiam singulis eum rationis et judicii usum concederent, quo Graecos demum cum poëtici spiritus detrimento pervenisse diximus. Romani vero quamvis et ipsi in carminibus pangendis ratione potius quam proprio quodam instinctu ducerentur, tamen hac re posterioribus Grae-

112) Lyricam satirae indolem in ipsa forma epica recte existimavit Bernhardyus Grundriss der röm. Literatur p. 230.

eorum poëtis longe praestiterunt, quod recentibus viribus ad eam rem accesserunt; quod si vel in iis argumentis, quae dudum epicae poësis propria erant, aequales Graecos longe superarunt, nova materia, quam temporum corruptela indignationi et ludibrio praebebat, vel in forma extrinsecus accepta novo carminis generi condendo aptissima erat.

VII.

Ne quis tamen haec omnia, quae modo de satira Romanis domestica disputavimus, non minus in Ennii quam in Lucilii laudem convenire arguat, primum recogitandum est, totam illam satirae descriptionem, quam a Graecorum ingeniis alienam singulari tantum Romanorum temporum conformationi deberi dixi, a Luciliana tantum satira petitam esse, qualis et ex veterum testimoniis et ex Horatii aliorumque imitatione cognoscitur; deinde vix verisimile est Ennium, qui totus a Graecis exemplaribus pependit, tantum facinus sine illorum auctoritate ausum esse; postremo ejus formae, qua sola Ennii satiras conspicuas fuisse constat, undeque ipsum illarum nomen ductum esse superius diximus, ne inter Graecos quidem exempla desunt, quorum ad similitudinem ille carmina metrorum varietate mixta composuisse videatur. Mitto Chaeremonis Centaurum jam ab Aristotele commemoratum [113]), quoniam de reliqua ejus carminis

113) Aristot. Poëtic. I. 12: *καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ*

forma et indole parum constat [114]), quanquam Casaubonus certe, qui ejus exemplum Ennium non secutum esse ex Horatii verbis colligit, circulum in demonstrando commisit [115]); mitto etiam technopaegnia Alexandrinorum, quae etsi jam circa a. 300 a. Chr. a Simmia Rhodio inventa sunt, tamen a Laevio demum in Latinam poësin translata esse videntur [116]); sed ne longius quaeramus, ipsius Theocriti idyllia praesto sunt, quae quum jam superius intellexerimus inscriptionis ambiguitate cum satiris omnino comparari posse, cum Ennianis hoc quoque commune habent, quod non solum argumentorum sed etiam numerorum varietate mixtum librum exhibent [117]), nec dubitari potest, quin inter tot poëtas, qui illa aetate quum toti illi minutorum poëmatiorum generi tum etiam novis metris inveniendis operam dederunt [118]), etiam tum fuerint qui Italo vati quasi *παμμέτρου*

---

114) Cf. Weichert. poët. lat. reliqu. p. 61; C. J. Hofmann. in Seebod. N. Archiv f. Philologie 1830, p. 362; Gruppii Ariadne p. 751 sqq.

115) De poësi satyr. p. 197.

116) Cf. Weichert. l. c. p. 38 sqq. Obiter moneo, nec versus illos *senum denum pedum* cum sequentibus *quinum denum*, quos Charisius in commentariolo de versu Saturnio nuper demum Schneidewini merito ex cod. Neapol. edito Gottingae 1841. 4, p. 15 tanquam *summos pterygiorum* ex *pterygio Phoenicis Laevii primae odes Erotopaegnion* affert, aliter existimandos esse, quam ut Laevium Simmiae exemplo carmina in alarum (*πτερύγων*) formam composuisse statuamus, quorum extremos versus quasi pinnas longissimos esse consentaneum erat.

117) Cf. Eichstadius de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus, Lips. 1793. 4, et Ern. Hepnerus de variis Theocriteorum idylliorum generibus, Thoruni 1836. 4.

118) Praeter Sotadem, qui novo metro nomen imposuit, haud scio an eodem pertineat *Ἡγησιφῶν ὁ Ἀθηναῖος ποιητὴς τῶν καλουμένων κολάβρων* apud Athenaeum XV, p. 697; cf. Wegener de aula Attalica p. 178.

alicujus pangendi viam monstrare possent. Quanquam ne huc quidem confugi necesse est; praesto enim est Menippus Gadarensis cynicus, unde Varro posterius satirae Ennianae pedestris sermonis adjectione amplificatae Menippeae cognomen addidit, *non a magistro*, ut veteris grammatici verbis utar, *sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat* [119]; quem quum Lucilio exemplum edidisse vel ideo non credibile sit, quia Quinctilianus Varronianum genus clarissime a Luciliano distinxit, Ennio nihil prohibet quominus formam certe satirarum suarum praemonstraverit, modo eum hujus aetatem vel aequasse vel superasse constet. Atqui hoc et grammatici verba suadent, qui Menippi aetatem Varroni *longe praecessisse* tradit, et inde colligi potest, quod Diogenes Laertius Hermippi de eo testimonium affert [120], quem ipsum circa a. 200 a. Chr. floruisse certis indiciis probatur [121]; neu quis a Casaubono in errorem trahatur, qui dialogos tantum parodiis distinctos a Menippo scriptos esse neque quenquam veterum illum inter poëtas numerasse scrip-

119) Probi verba sunt ad Virgil. Ecl. VI. 31, cujus etsi ancipitem auctoritatem statuit Osannus Beitr. z. griech. u. röm. Lit. Geschichte T. II, p. 272, hoc tamen scholion inter ea refero, propter quae Ruhnkenius epist. crit. II, p. 197 *grammaticum ipso Servio doctiorem* appellavit.

120) Diog. L. VI. 99: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει, καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου· φησὶ δ' Ἕρμιππος ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι.*

121) Cf. Lozynskius ad Hermippi fragmenta, Bonn. 1832. 8, p. 5 ejusque censor Prellerus in Seeb. et Jahnii N. Jahrbb. f. Philologie 1836, T. XVII, p. 161.

sit [122]), civem ejus Meleagrum epigrammatum poëtam comparet, qui et alias arctissime cum illo conjungitur et ipse Menippeo se lepore a Musis ornatum esse jactat [123]). Illud tantum in hac ipsa Meleagri comparatione obstare possit, quod Diogenes Meleagrum Gadarensem Menippo aequalem fuisse ait, qui si notus ille anthologiae conditor fuit, secundum alia argumenta vix centum annis Christi nativitatem antecessit [124]); sed huic quoque difficultati ita occurri potest, ut aut Diogenem perperam aequalem pro cive vel imitatore dixisse suspicemur, aut quod dudum viris doctis placuit, duos Meleagros, utrumque Gadarensem, sed alterum cynicum Menippi familiarem, alterum anthologiae scriptorem distinguamus [125]); neque quidquam causae apparet, cur Ennium quoque, ut posterius Varronem, poematum certe varietate Menippei generis formam exprimere potuisse negemus. Immo quidquid cum aliqua probabilitatis specie ex antiquitatis memoria ad illustrandas satirae Romanae vicissitudines erui potest, egregie conspirat ad probandum quod diximus eam satirae

122) De poësi satyr. p. 207.

123) Meleagri epigr. 127: *Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας χάρισιν*: cf. Anthol. Pal. VII. 417 et 418, ubi recte Brunckius emendavit: *Μοῦσαι δ' εἰν ὀλίγοις με, τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον παῖδα, Μενιππείαις ἠγλάϊσαν χάρισιν*: vulgo inepte *Μελητείοις*.

124) Cf. Jacobs. animadv. ad Anthol. Gr. T. I, P. 1, p. XXXIX sqq. et Gust. Weigandum de Antipatris Sidonio et Thessalonicensi, Vratisl. 1840. 8, p. 22.

125) Cf. Harlefs ad Fabric. bibl. Gr. T. IV, p. 417 sq. et Bernhardy Grundrifs d. griech. Liter. T. I, p. 522 ad Olymp. CXXVII. 1; Welckerus quoque ad Theognid. p. XCIII Menippum ante Lucilium floruisse statuit.

formam, quae ab Ennio condita posterius a Varrone maxime illustrata est, in iis certe, unde satirae nomen acceperit, Romanorum neutiquam propriam fuisse; *intacti* vero *carminis* laudem adeo in Lucilium convenire, ut vel hac sola de causa Horatius de Ennio ne cogitare quidem potuerit, ejusque verba, nisi eum a semet ipso pariter atque ab omni literarum memoria aberrasse velimus, ad unum Lucilium referenda sint. Quod autem *inventoris* quidem laudem Lucilio relinquunt, *auctorem* tamen Ennium rectius dici contendunt, si quidem *auctor sit qui exemplum rei faciendae dedit, inventor is qui aliquam rem certa via ac ratione primus tractat et ad certam aliquam legem revocat* [126]), id vero mihi, quod pace tantorum virorum dixerim, prorsus contra videtur. Neque enim majore aut minore generis certitudine differunt *inventor* et *auctor*, sed ea ratione qua cum sequentibus ejusdem generis cultoribus continentur; quae si ea est, ut *inventor* quidem is dicatur, qui primus omnium in rem aliquam tractandam incidit, *auctor* autem qui aliis viam ad rem faciendam praeiit [127]), facile apparet etiam

126) Verba sunt Weicherti poët. lat. reliqu. p. 281; sed cf. jam Casaubonum p. 213: *nam ut Ennius, quum differentem non parum ab antiquissima et omnium prima satiram scribere instituisset, satirae primus* auctor *est habitus; ita* Lucilius *quum ad carpenda hominum vitia stilum convertisset coepissetque veteris comoediae Atheniensium licentiam in suis poëmatis usurpare, non quidem ἁπλῶς satirae, sed talis satirae* inventor *est celebratus;* itemque Mansonem Verm. Abhandl. p. 297; Wachsmuthium p. 321.

127) Apposite Wopkensius lectt. Tull. p. 24: *sed auctor non solum dicitur, qui rem reperit aut conficit, sed etiam qui illam sua vel opera vel auctoritate ornat tuetur aut promovet,* ubi

si vel maxime alter ab altero diversus sit, inventorem potius auctori quam hunc illi antecedere, neque in eo genere, cujus jam ab alio auctore exemplum editum sit, inventori amplius locum esse posse. Accedit quod Ennii exemplum praeter Pacuvium, qui ejus ex sorore nepos fuit, ne secutus quidem quisquam esse videtur, neque ipse Varro, quanquam nomen satirae eodem quo Ennius sensu ad miscellanea sua transtulit, in ipso opere instituendo plus illi quam sibi Graecisve exemplaribus debuit; Lucilius autem quasi sectam ducit, quam etsi Horatius ne se quidem excepto minorem inventore dicit [128]), id ipsum tamen ostendit etiam pluris quam solum inventorem Lucilium habendum esse, nec tempore tantum reliquis praecessisse, sed etiam pro exemplari fuisse, cujus praestantiam vix ac ne vix quidem imitando assequi possent.

VIII.

At, inquiunt, *rudis carminis auctorem* Horatius appellat, quod vocabulum cum tanta Lucilii praestantia non convenit, cum Ennio vero convenit, quem etiam alibi hoc cognomine appellari legimus. — Audio; sed ut mittam non minorem Ennii in

---

dicitur, qui philosophiae auctoritatem dat, qui exemplum philosophiae colendae praebet. Quid quod ipse Ennius in Mamertini genethl. Maximiani c. 16 dicitur *Romani carminis primus auctor,* quod ita demum verum est, si non omnium primum inter Romanos poëtam, sed eum intelligimus, cujus exemplum plurimum apud posteritatem valuit.

128) Serm. I. 10. 46: *hoc erat experto frustra Varrone Atacino atque quibusdam aliis melius quod scribere possem, inventore minor etc.*

suo genere quam Lucilii laudem apud veteres fuisse, primum quidem *rude* non est pravum vel mancum sed artis expers et impolitum, quod lima careat necdum multorum hominum manibus tractatum sit, ita ut sequentia, quibus *Graecis intactum* dicitur, non novum aliquid sed propiorem tantum explicationem contineant [129]); deinde vero etiam minima difficultas tolletur, modo eam interpretationem amplectamur, cui commendandae omnem hanc disputationem instituimus; qua tantum abest ut ex carminis genere poëtae indoles colligatur, ut hoc ipsum Lucilio praecipuum tribuatur, quod limatior fuerit, quam in rudis Graecisque intacti carminis auctore exspectari potuerit. Atqui hanc primum demonstravi nihil continere quod sermonis legibus repugnet, deinde tantum inter Lucilii Enniique satiras discrimen intercessisse ostendi, ut hic illius auctor omnino dici non posset; tum solius Lucilianae satirae eam condicionem fuisse docui, ut intactum Graecis carmen jure meritoque haberetur; quod si postremo Horatium ea, quae et potuerit et debuerit, etiam dicere voluisse ex toto sententiarum nexu satiraeque argumento comprobavero, nihil amplius ad propositae disceptationis complementum desideratum iri spero. Neque magnis hoc ambagibus indigere arbitror. Ennii enim semel tantum in tota satira mentio fit ita, ut Horatius judicium suum de Lucilio

129) Eadem causa est loci Juvenal. XI. 100: *tunc rudis et Graecas mirari nescius artes etc.*

latum ipsius Lucilii exemplo excuset, qui eodem modo Accium tragicum Enniumque reprehenderit, non quo se meliorem illis censeret, sed quia suis ipsi propositis non satisfecisse viderentur [130]); hanc autem ad Annalium libros potissimum spectare docent verba:

nonne ridet versus Enni gravitate minores,

quia talis reprehensio in satiram, qualem ipse Horatius describit, *sermoni propiorem* [131]) cadere non poterat; quod nisi cum Döringio, quem satis et Weichertus impugnavit et nos superius refutavimus, ipsum *rude carmen* ad Annales referre placuerit; vix credibile erit Horatium eundem poëtam, cujus modo tanquam epici nomen posuisset, circumscribendo tanquam satiricum notasse. Quod vero Weichertus suspicatur *Ennii amatores et Horatianarum satirarum obtrectatores id egisse, ut Lucilium limatiorem esse declararent cum omnibus poëtis antiquioribus tum maxime Ennio, qui satiras scripserit,* clarissime hoc Horatius prae se fert, non se Lucilium propter satiras male scriptas reprehendere, neque hujus patronos in illo tantum genere ejus praestantiam defendisse consentaneum est, sed omnis disputatio in ea re versata esse videtur, utrum Lucilius in versibus componendis durus et negligens fuerit an non [132]); quod quum vetustatis amatores, qui ipsum in

---

130) Serm. I. 10. 53 sqq.; cf. Madvigii opuscc. p. 106.

131) Serm. I. 4. 42; cf. Casaubonus p. 270 sqq. et Astius de Plat. Phaedro p. 44 sqq.

132) Serm. I. 4. 8 sqq., quo de loco non est quod pluribus disseram post F. A. Wolfium in

deliciis habebant [135]), negare vel excusare conarentur, duplici modo procedere poterant, ut eum aut praestantissimos in quoque genere superiorum poëtarum superasse ostenderent, aut in suo genere ac condicione singulari eximia praestitisse monerent, horumque argumentorum ad utrumque ex nostra interpretatione Horatius recte respondet. Nam si ea tantum sententia esset, ut primum Ennium in satiris, deinde reliquam omnem seniorum turbam superasse diceretur, alterum altero jam contineretur nec magna profecto concessio esset, sequentem plus quam antecessorem in eodem genere praestitisse; longe major laus erit, si eum et superiores omnes et suam ipsius condicionem ita excessisse ait, ut limatior fuerit, quam plerique alii in carmine recens condito futuri essent; quumque hoc Horatio per totam satiram propositum sit, ut quantum possit Lucilio concedat, modo ne curam et diligentiam in eo majorem agnoscere cogatur, quam quae re vera in ejus carminibus appareat, vel hac de causa ea interpretatio praeferenda erit, quae plus laudis in illum conferat. Sic igitur haec de quibus agimus verba cum antecedentibus cohaerent, ut se in Lucilio reprehendendo ipsius tantum exemplum sequi neque ideo virtutes ejus non agnoscere dicat; jam autem ad sequentia ita transit, ut moneat, ne quis Lucilio tam

---

litt. Anal. T. I, p. 185 sqq. et Weichertum de L. Varii et Cassii Parmensis vita, Grimae 1836. 8, p. 325 sqq.

177) Cf. Manso verm. Schriften B. III, p. 89 sqq. cui quae opposuit Weichertus poët. lat.

inepte faveat, ut dum ejus virtutes admiretur, vitia quoque, quae ne hominis quidem solius, sed pleraque temporis fuerint, caece imitetur aut negligentiam suam illius exemplo tueatur. Hic enim sensus est v. 67 sqq. ubi Lucilium ait, quamvis superiores omnes post se reliquerit, tamen,

si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,

multa recisurum multoque majorem curam versibus perpoliendis adhibiturum fuisse, neque satis mirari possum non solum Doeringium verum etiam Weichertum haec quoque a Lucilio ad Ennium detorsisse, quasi id Horatii consilium esset, ut antiquioribus poëtis excusandis etiam illud quod modo Lucilio concessisset, retractaret neque illas virtutes tanti quanti viderentur habendas esse innueret [134])! Immo quidquid illum facturum fuisse praedicat, si majorem temporum opportunitatem nactus esset,

detereret sibi multa; recideret omne quod ultra
perfectum traheretur, et in versu faciendo
saepe caput scaberet vivos et roderet ungues,

iis quae modo in Lucilio reprehenderat tam presse opponuntur, ut ad alium spectare omnino non possint; Ennium autem, quamvis arte caruerit, cura et diligentia nemo veterum caruisse prodidit, utque mittam ipsum Naevio certe perfectiorem politiorem-

134) Weichertus p. 281: *his enim verbis significat Ennium, si rudior Lucilio sit, excusationem habere ab aetate qua vixerit, et a novitate carminis, quod primus omnium tentaverit* etc.

que a Cicerone appellari [135]), prodigii instar fuisset, si Horatius illud vitium, quod temporis tantum esse ipse intelligeret, Ennium quidem in meliora tempora delatum depositurum fuisse affirmasset, Lucilium non item, quem tamen ex ipsa illorum interpretatione vel suapte natura ad majorem Ennio limam pervenisse concessisset! Atque haec jam Orellius recte contra Doeringium monuit [136]), neque cuiquam qui Horatii de Lucilio judicia novit, dubium fore arbitror, quin etiam si quid in eo reprehendat, excusandum potius quam deprimendum censeat; hoc vero posito ne ea quidem verba, in quibus summa disputationis nostrae posita est, quum etiamsi non laudem tamen manifestam excusationem contineant, ad alium praeter Lucilium referri poterunt, tantumque abest ut hic sola *seniorum poëtarum* comparatione illustretur, ut etiam secum ipso comparetur atque ea quae ab *rudis Graecisque intacti carminis* auctore exspectari poterant, ita superasse dicatur, ut si in aequiora tempora delatus fuerit, nihil ab ulla parte reprehendendum relicturus fuisse videatur.

---

135) Brut. c. 19, §. 76.

136) Edit. Horat. T. II, p. 150: *sed quonam quaeso instinctu divino scire poterat Horatius, Ennium, si Octaviani tempore vixisset, correcturum fuisse sua vitia, Lucilium non item?* Illud tantum concoquere non possum, quod Orellius in verbis *et Graecis intactis* reprehensionem inesse censet, qua *tam rudem esse satirae Ennianae formam* declaretur, *ut hoc genus a Graecis nunquam neque excogitari nec tractari potuerit;* nam quum ex ipsius sententia Ennius universae satirae auctor habendus esset, Horatius in toto genere simul etiam se ipsum reprehenderet.

Sed jam redeundum est ad ea quae Academiae nostrae pietas ad concelebranda Augustissima natalitia instituit. Quanquam vehementer doleo praemium philologiae studiosis destinatum hoc quoque anno tribui non potuisse. Exstitit quidem, qui alteram ex quaestionibus superiori anno propositis, quae erat *de aedibus Homericis*, solvere aggrederetur; at de ejus conatu judices huic rei constituti ita existimarunt:

Qui hanc quaestionem solvendam suscepit, in colligendis Homeri locis laudabilem industriam posuit, neque recentiorum judiciis neglectis mediam sibi per hos viam munire conatus est, denique satis nitida et perspicua formarum delineatione variarum sententiarum discrimina ante oculos posuit; nec tamen haec ad praemium auferendum sufficere visa sunt. Quod enim summum erat in hoc argumento, ut diligenti et accurata praecipuorum locorum interpretatione totius disputationis fundamenta jacerentur, quibus quasi ab integro exstrui posset, non fecit, sed ipsam statim Ulyxearum aedium descriptionem aggressus, dum modo hunc modo illum ex interpretibus aut assentiendo aut impugnando respicit, ab illorum exemplis plus quam par erat pependit, unde factum est, ut a poëtae verbis interdum manifestissime aberraret; deinde soli Ulyxis domui

intentus reliquarum obiter tantum mentionem injecit neque ea quae omnibus communia erant ab illius forma peculiari satis distinxit, alteram vero quaestionis partem, quae ad Homericorum temporum cum posterioris aetatis aedibus comparationem spectabat, brevissime tantum perstrinxit; postremo orationem Latinam tantis soloecismis implevit singulisque fere paginis utriusque sermonis leges tam foede violavit, ut vel ob hanc solam causam praemio philologis proposito dignus haberi non posset.

Haec igitur spes irrita cecidit; ne tamen ipse animum despondens commilitones quoque desperare patiar, non solum alteram ex superioris anni quaestionibus his verbis conceptam:

Quoniam Hieronymus in interpretatione chronici Eusebiani multa de suo addidit, quae ad illustrissimorum scriptorum poetarumque Romanorum aetates describendas pertineant, de horum additamentorum fontibus et auctoritate quantum fieri poterit accuratissime agatur, singulisque cum aliis veterum narrationibus et virorum doctorum disputationibus collatis universi generis fides et pretium constituatur;

iterum propono, sed etiam novam addo, cujus argumentum et varietate amoenum neque in via tot interpretum praecursione strata nimis difficile ad tractandum erit:

Colligantur quae Herodotus de rebus Graecis aliter atque alii antiquitatis scriptores tradidit, atque ita illustrentur, ut et singulorum errorum si quos commiserit causae quantum fieri possit appareant, et omnino de fide et diligentia hominis in harum rerum memoria tradenda judicium fiat.

Atque sic etiam sequentis anni auspiciis satis provisum esse arbitror; ipsius autem diei natalis splendorem hoc anno vir summe reverendus et clarissimus, collega conjunctissimus,

FRIDERICUS GUILIELMUS RETTBERG,

S. THEOL. D. ET P. P. O.

oratione in auditorio majori habenda illustrandum recepit; cujus sacri ceremoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint ***Professores omnium ordinum, summe venerabiles, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, juvenes denique disciplinae nostrae traditi ornatissimi atque suavissimi,*** ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi die XIV. Julii MDCCCXLI.